Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1569
Quelle:
Copyright:

nus; de quo plura utroque *Volumine* dixi.

DCLXVIII.

R. 1991 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 204. f. maj. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus, olim *Fratrum*, ut praefertur, *Carthusiensium prope Pragam*, qui fatentur: *Istum librum dedit nobis reuerendissimus pater dominus Johannes de kytlicz Episcopus Misenensis* (inter an. 1393—404.) continet I. Tractatum *de septem itineribus eternitatis*, qui incipit: *Eum, qui uenit ad me, non eiciam foras. Joh. XVI. Augustinus in libro de cognitione vere vite dicit. Cum Christus via veritas et vita dicatur* &c. Nulla neque hic, nec ad calcem *Bonaventurae* mentio, licet Tractatus iste passim illi tribuatur, compareatque in *Opp. omn.* Editione *Lugdun.* 1668. T. VII. p. 184. ubi tamen observo, *Dist.* VII. et *ultima* ad hanc sententiam: *Bonum operatum fert dulcedinem in gustu, et gaudium in corde*; subpressum esse autoris *Alberti M.* nomen, quod in Codice legitur. Si temere istud accidit, salva res est, sin data opera, suspicari quis posset, cum συγχρονοι fuerint *Albertus* et *Bonaventura*, timuisse Editores, ne e citato *Alberto* dubium quibusdam suboriatur, an Tractatus non potius ad Asceten aliquem *Bonaventura* posteriorem sit referendus. Praeterea deest sub finem in Codice prolixa περικοπη, quae in Edit. incipit: *Odor autem* &c. et terminatur: *feliciter terminat.*

II. *fol.* 34. *Incipit liber de spirituali perfectione interioris hominis ex collatione et institutione sanctorum patrum a magistro beynrico de frimaria editus. Cassianum* in hoc Opere typis, quod sciam, nunquam expresso compilavit notus hic Eremita *Augustinianus*, cujus varia Scripta jam a me relata sunt, omnia ab *Ossingero* in *Bibliotheca* Ordinis enumerantur, qui bene observavit, praesens istud perperam a *Trithemio n.* 589. in duo distinctum fuisse. Constat illud *Libris* XXIV. ut vocat, *parcialibus* in sua Capita tributis, quorum Elenchi ubique praecedunt. Ipse vero Praefationem ita orditur: *Istum librum pro honore dei et edificatione legentium studiose concepit magister beynricus de frimaria* (al. Vrimaria) *sacre theologie professor ex libris collationum et institutione sanctorum patrum. In quo plurima puncta continentur* &c. Et re ipsa nihil paene Documentorum sublimioris Asceseos per decursum desideres. L. I. tractat de octo Vitiis capitalibus. II. de Cordis puritate. III. de Discretione &c.

III. *fol.* 84. succedunt S. *Bernardi Sermones LXXXIII. in Cantica*, tribus igitur ultimis pauciores, quam exhibet Editio *Opp. Mauriana* T. IV. Inscripti sunt hoc rubro: *De tytulo istius libri et quod per excellentiam appellatur cantica canticorum sermo primus*